



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Georgii monasterium, quod est intra muros urbis Augustanæ, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Sangallensia à Cinglianis iconomachis. Secessit igitur Abbas ad ^{Cingliani} Roschachium: ibi obiit anno Domini 1529. hydropicus. Sepe-^{iconoma-} litur Sangalli in festo Paschatis. Celebratus est propterea, quod ^{ubi.} mire esset pecuniarum avidus, tali disticho.

*Major hydrops animum tenuit, quum viveret: auri
Haud ullo potuit tingere fonte sitim.*

56. *Kilianus Germanus*, ex Comitatu Dockhenburgensi natus, eligitur apud Raperswiliam prope lacum Tigurinum. Erat vir egregiæ formæ & staturæ, mitis & humanus erga omnes omnium ordinum homines. Habitabat in oppido Wil, propter suorum temporum tumultus ac mutatam in oppido Sangallensi religionem. Postea cum videret, in doctrina omnia ubiq; mutari, secessit Uberlingum, ubi consecratur ab Episcopo Constantiensi. Proficiscitur anno 1530. ad Comitia Augustana, ubi agebat coram Carolo V. Imp. ea, quibus ei opus erat ad recuperanda ea, quæ amiserat: sed inde rediens periit in Bregantio fluvio miserrime, ipsa 30. die Augusti, cum maximo suorum luctu & planctu, cum post electionem vixisset 15. faltem mensibus & aliquot diebus. Sepelitur in Augia Brigantina cum honorifico monumento.

57. *Diethelmus Blaureus*, à Wartensee, ex nobili & antiqua familia ad lacum Acronium natus, eligitur anno Christi 1539. vir pulchræ & proceræ staturæ, corporis robusti & grandis, animi vero lenis ac humanissimi. Restituit Basilicæ Sangallensis ornamenta & ceremonias, præsidens Abbatia ac ditioni Sangallensi diligenter & summo studio hoc adhuc currente Jubileo.

✻ ✻ ✻
S GEORGII monasterium, quod est intra murosurbis Augustanæ, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, fundatum legitur anno Christi 1135. absolutum vero anno 1142. à Walthero, Comite Palatino Tubingensi & Episcopo Augustano, ejusque Canonicis in honorem S. Georgii martyris. Est in ejus coenobii templo præclarum sacellum familiæ Herwartorum cum talibus inscriptionibus.

Hbb 3

Geor-

Georgio Heerwortt, Luca filio, Patricio Augustano, Pontificii & Cesarei Juris Doctori, Ratisbonensis Ecclesiæ Canonico, qui vixit annis 47. menses 9. dies 12. Obiit ad Aquam pendentem 4. Nonarum Augusti, anno salutis 1508. Christophorus Herwortt, Patricius Augustanus, fratri charissimo & de se bene merenti faciendum curavit.

Honesto & integro viro, Antonio Herwardo, Luca Herwardi senioris, Patricii Augustani filio, qui anno etatis suæ 41. dum peregrinatur Hierosolymam & ad montana S. Catharinæ, in Alchiro, mense Aprili anni 1503. obiit, relictæ fratres & testamentarii memoriæ ergo hoc monumentum posuerunt.

Huic monasterio præfuerunt ad hoc usque seculum hi sequentes Domini Præpositi, paucis amissis ex eorum ordine, qui primi fuerunt.

1. *Udalricus* præfuit circa annum Domini 1254.
2. *Henricus Kronbeer* circa annum Domini 1282.
3. *Conradus*, egregius benefactor sui monasterii, præfuit circa annum 1285.
4. *Hermannus Hardmidus* eligitur anno 1298.
5. *Eberhardus* eligitur anno Christi 1300.
6. *Ludovicus* anno Domini 1309.
7. *Rudolphus* anno salutis 1319.
8. *Luitboldus* anno gratiæ 1337.
9. *Gebhardus Vergius* anno Dominicæ incarnationis 1351.
10. *Joannes* anno virginæ partus 1359.
11. *Udalricus Suß* anno instaurati generis humani 1379.
12. *Egelolfus*, assumptus de Rodt monasterio, eligitur anno Christianæ redemptionis 1395.
13. *Joannes Reicherus*, aliàs Geroldishoferus, eligitur anno Christi 1401. Fideliter & feliciter præfuit & profuit annis 29. Constituitur Episcopus Augustanus, sed non voluit recipere tantæ gubernationis onus potius, quam honorem.
14. *Petrus Ostermaier* eligitur anno Christianorum 1430. Præfuit 40. annis, & propter senectutem deponitur vel exautoratur.

15. *Joannes Huber* eligitur anno Domini 1470. Præfuit 5. annis, & profectus in thermas, somnoq; ibi victus in aquis mirabili fato submergitur.

16. *Nicolaus Bavarus*, aliàs *Steinerus*, eligitur anno 1475.

17. *Joannes Wendlinger* eligitur anno 1479.

18. *Michael Molitor* eligitur anno gratiæ 1480.

19. *Rudolphus Friboldus*, è sancto Gallo assumtus, eligitur anno 1482.

20. *Lawentius Feilmannus*, Augustanus, eligitur anno Christi 1489. & anno sequenti totius Ecclesiæ suæ restitutionem & ampliacionem incepit, qua perfecta chorum etiam renovavit. Obiit anno 1515. cum præcedente anno resignasset.

21. *Wolfgangus Molitor*, ex Bobinga natus, eligitur anno 1514. Isemit Guckhenbergû arcem à Wolfgango Schieck, quæstore Augustani Episcopi. In eam secesserunt cum suo Domino præposito omnes fratres Georgiani, sub *Joanne Stabero*, eo tempore, quo Augustani genus doctrinæ Ecclesiasticum immutarunt. Præfuit Wolfgangus annis 22. & aliquot mensibus, vir bonus & doctus, sed & optimus œconomus.

Guckhenbergum.

22. *Joannes Staberus*, egregius musicus, eligitur anno Christi 1536. Obiit anno 1542. secunda Aprilis Guckhenbergi. Sepelitur in majori Aitingo.

23. *Eberhardus Wirsingus*, ex Partenkirchio natus, eligitur anno gratiæ 1542. Præfuit 29. tantum septimanis. Obiit anno gratiæ eodem.

24. *Georgius Wirsingus*, Augustanus, eligitur anno salutis 1541. undecima Octobris. Obiit in ipso tumultu Germanico apud Guckhenbergum anno 1547. decima tertia Decembrium. Sepelitur in Mechingenfi templo. Post mortem Wirsingi, omnes Georgiani fratres apud Bollingum (quod ejusdem ordinis cœnobium est in Bavaris situm) exularunt.

Bollingum Cœnob.

25. *Jacobus Salicetus*, vulgo *Widemannus*, ex Sueviæ Menchingo natus, anno Dominicæ Incarnationis 1547. eligitur Guckhenbergi, 23. Maij, vir corporis & ingenii bonis conspicuus, huma-

humanitate nemini secundus. Præsudet is hoc adhuc corrente Jubileo, insignis Bibliothecæ collector & coemtor studiosissimus.



*S. Lucius,
primus
Rhetorum
Apostolus.*

S LUCII antiquissimum olim Benedictinorum monachorum, postea Præmonstratensium cœnobium, extra muros Churensis apud Rhetos urbis, post Cathedralē Basilicam in umbilico ac declivi vitiferi ac amœnissimi collis situm, S. Lucii, primi Rheticarum provinciarum Apostoli, ac à Rhætorum præfectis trucidati illic tandem martyris oratorium initio fuit. Quando vero cœnobium fieri cœperit, aut à quibus sit donatum vel constructum, id in oblivionem venit & in fastos à nemine relatum est. Sepelitur in ejus templo (ut vetus cryptæ inscriptio testis est) Valentianus, septimus Churæ Rheticæ Episcopus, qui primus fortassis monachos Benedictinos in hunc locum collocavit, videturq; coætaneus fuisse S. Benedicti Abbatis & monachorum omnium patris primarii. Conversum est vero in Præmonstratensium monachorum domicilium tandem annum Christi circiter 1140. ejectis inde lascivientibus & luxuriantibus Benedictinis monachis, a Conrado, Comite de Bibregk, Churiensis Ecclesiæ Episcopo tricesimo octavo, qui è Rogkenburgenfi, à parentibus suis fundato in Suevis cœnobio accerferat monachos instituti Præmonstratensis ad reformandum hoc S. Lucii monasterium. Hoc nostro tempore Xenodochium est & pauperum ægrotorumq; receptaculum, traditum nuper à Rom. Pontifice Paulo III. venerabili ac clarissimo viro, Domino *Bartholomæo de Castromero*, Canonico ac Decano majoris Ecclesiæ Churensis, sedisque Apostolicæ Protonotario, in cujus gratiam tale aliquando lusi de hoc cœnobio Idyllion heroicum:

*Cœnobium vetus est antique ad mœnia Churæ
Colle situm, qui vitifer omni est parte, merumq;
Procreat eximium. Quod quis fundaverit olim
Primus, vix aliquid certi dicitaret Apollo.
Hoc certum tamen est, quod quidam Lucius illic
Vir sanctus (plebem Christi qui verba docebat)*

Vixt.